

**Dissertationem inauguralem medicam de spiritu vini ejusque usu et abusu /
... Defendet author Christoph. Henricus Papen.**

Contributors

Papen, Christoph Heinrich, 1709-
Albrecht, Jo. Wilh., 1703-1736.
Universität Göttingen.

Publication/Creation

Gottingae : Apud Abramum Vandenhoeck, [1735]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/guujkgj2>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

SVB AVSPICIIS REGIIS
 DISSERTATIONEM INAUGVRALEM MEDICAM
 D E
SPIRITV VINI
 EIVSQUE VSV ET ABVSU
 PRAESIDE
D. D. IOH. WILH. ALBRECHT
 ANAT. CHIRVRG. ET BOTAN. P. P. O.
 PRO GRADV DOCTORIS OBTINENDO
 DEFENDET AVTHOR
CHRISTOPH. HENRICVS PAPEN,
 GOTTINGENSIS.



IN AVDITORIO REINHARTHINO AB HORA X. AD XII.
 DIE III. DECEMBRIS M. DCCXXXV.

G O T T I N G A E
 Apud ABRAMVM VANDENHOECK, *Academiae Typographum.*

DISSECTATIO MEDICA
SPIRITUS VINI
P R A E S I D E

D. D. IOH. WILH. ALBRECHT
S P I R I T U S V I N I
PRO GRADU DOCTORIS OBTINENDO
CHRISTOPH. HENRICUS TAPEN
P R A E S I D E

IN AVDITORIO REINHARTHINO AB HORA X. AD XII.
DIE III. DECEMBRIS M. DCCXXXV.

G O T T I N G A E
Joh. ABRAHAM VANDERHOLCK, M.D.

DISSERTATIO MEDICA
DE
SPIRITU VINI.

§. I.

Vinum nobis vocatur quicumque liquor, ex vegetabili idoneo fermentatione paratus, in destillatione dat Spiritum ardentem, aquae miscibilem.

§. 2.

Eodem enim sub nomine commode comprehenditur Vinum κατ' ἐξοχήν sic dictum, Cerevisia, Hydromel, piraticum fermentatum & similia, quae origine & dotibus affinia, similes in destillatione fundunt spiritus. Id quod ubique locorum ab antiquis usque temporibus idem vocabulum significavit. DIODORVS SICVLVS (a), Osiris Rex, inquit, si quae tellus plantam Vitae non aleret, docuit ex hordeo po-

(a) Lib. I.

potum vini fragrantia & jucunditate non inferiorem conficere. HERODOTO (b) audit ζύθος οἶνος ἀπὸ κριθῆς γινόμενος: & Xenophonti οἶνος κριθῆνος; & latinissime dixit CORNELIVS TACITVS (c): potus ex hordeo, aut frumento in quandam similitudinem Vini corruptus (d).

§. 3.

Omne vinum constat ex Aqua, Terra, parte volatili oleosa & sale acido, quorum singulorum peculiaris indoles, & varie inter se miscendorum proportio determinat diversa Vini genera, & quicquid natura, vel arte inde parari solet.

§. 4.

Pars aquea, ut principium fluiditatis, menstruum praebet reliquis partibus, in quo hae solutae & diffusae debitam combinationem, motu fermentationis determinandam, subire possunt. Caeterum in omni vino eadem, nihil ad specificum saporem, vel odorem conciliandum contribuit, sed sola quantitatis diversitate meracum & debile vinum ingreditur.

§. 5. Quodsi

(b) *In Euterpe.*

(c) *De Moribus Germanorum.*

(d) *Vid. BOERHAAVE Element. Chemiae Tom. II. pag. 168 & 192.*

§. 5.

Quodsi enim superflua pars aquae à vino separatur ita, ut reliquarum partium illaesa maneat mixtura, quod concentratione per congelationem fieri solet, color concentrati saturatior quidem, sapor & odor fortiores, sed eandem tamen, quam prius habebant, retinentes indolem observantur.

§. 6.

Terra tum quantitate, tum qualitate diversis vini generibus inest varia, & videtur ab ejus ingenio & singulari cum acido & spiritu consortio aliquatenus pendere ratio specifici in quolibet vino odoris & saporis: quia acetum & spiritus, si seorsim spectantur singula, ex quocunque demum vino parentur, plane eadem, & sibi similis ubique deprehenduntur esse naturae.

§. 7.

Quin etiam coloris diversitates ab eadem causa provenire existimo; quia phlegma non minus, quam acetum & spiritus à vino segregata, limpida, & nullo colore tincta apparent; & praeterea satis constat, vinum eo majorem continere terrae quantitatem,

quo rubet obscurius, & partibus austeris, adstringentibus ac roborantibus prae aliis est praeditum.

§. 8.

Quamvis acidum in notae vilioris Vino praecipue manifestis se prodere soleat signis, hoc tamen minus de ejus abundantia, quam spiritus ardentis, qui illud temperet, defectu testatur. Siquidem ex hujusmodi vino debili & aquoso parum, ex generoso vero & forti, multum acerrimi conficitur aceti; quod autem ante secundam fermentationem adeo hic latet subactum & mitigatum, ut degustantibus nullum omnino sui praebeat indicium.

§. 9.

Quemadmodum vice versa idem spiritus, post secundam fermentationem ab acido perdomitus, adeo ligatur, ut nihil propriae indolis amplius ostendat, sed inserviat potius acuendo aceto; a quo deinde separari iterum potest. Docent enim Chemici, in destillatione Sachari Saturni, ex ipso Aceto Spiritum Vini ardentem parari posse.

§. 10.

Si a Vino optimi saporis Spiritus destillatione abstrahitur,

strahitur, tunc in cucurbita remanet liquor acidus & austerus, qui a spiritu iterum affuso semper quidem temperatur, sed nunquam eundem gratum & vinosum recuperabit saporem.

§. II.

Ex quo patet, rationem specifici Saporis Vinosi in horum principiorum non tam indole cuique propria, quam singulari plane utriusque combinatione, non nisi motu fermentationis efficienda, potissimum esse quaerendam.

§. 12.

Effectus Vini in corpus humanum, licet pro illius & hujus diversitate, mire inter se differant, tamen revocari possunt ad quaedam capita. Sic deterioris conditionis Vinum, nec tamen aquosum nimis, quale plerumque solet esse Misnicum, Thuringicum & Franconicum, crassiori diathesi, & rudi adhuc partium textura praeditum, roborat quidem ventriculum & intestina, sed sanguinis orgasmum cum molesto acris caloris sensu plerumque excitat, neque favet promovendis se & excretionibus.

§. 13.

Vinum tenue & magis dilutum, acidiusculum, simulque partium subtilitate potens, quale Rhenanum esse solet, roborat minus, acidum in corpore auget, calorem intendit, atque, dum partium tenuitate omnia penetrat, multum viscerum stagnantis fundit, resolvit, vias aperit, secretiones promovet, & virtute gaudet diuretica.

§. 14.

Vinum generosum, dulce, in quo copia nobilis Olei, & multo calore elaborati Spiritus dominantur, quale Hispania & Hungaria largitur, momentanea refectione totum corpus perfundit, genus nervosum roborat, materiam secernendis spiritibus suppeditat; absorbet acidum ubicunque inveniat; atque evacuat per lenem diaphoresin.

§. 15.

Vinum ex rubro nigricans, saporis grate austri & adstringentis, qualis in sic dicto *Pontac* deprehenditur, Systemati partium solidarum roborando dicatum est, & sic morbis ab earum laxitate oriun-

(dis

dis egregre medetur, adstringit, ficcatur, & nimias moderatur evacuationes.

§. 16.

Propria est vis Vīno inebriandi; unde mira in animo phaenomena; quae eleganter recenset Orbis litterati Ornamentum, BOERHAAVE (e): Excitat temulentiam in spirituum, actionumque, animalium functione. Dum excitat, reficit, animat, exhilarat, jocis, lusibus, facundiae, carminibus, saltibus aptat; postea proprios cuique latentes affectus incendit, promit, abscondita revelat; deinde sensus externos internosque, ut & voluntarios motus turbat, debilitat, tollit, ut nec pes, neque manus, neque lingua, nec mens officium faciat. Tum Soporē, Paralyfin, Apoplexiam, mortem denique facit. Et Poetarum Princeps (f), dum de vini effectibus canit, ita rem exprimit:

- - - - - οἶνος

Ἥλεός, ὅς τ' ἐφέηκε πολὺφρονά περ μάλ' αἰεῖσαι,
καὶ θ' ἀπαλὸν γελάσαι, καὶ τ' ὀρχήσασθαι ἀγῆκεν,
καὶ τι ἔπος προέηκεν ὅπερ τ' ἀρρήκτον ἄμεινον.

(e) *Element. Chémiae Tom. II. p. 182.*

(f) HOMERVS *Odyss. 3.*

§ VINI DESTILLATIO.

vinum
Stolidum, quod prudentissimum licet cantare facit,
Et dulce ridere, & saltare suadet,
Et verbum emittit, quod non dictum esset melius (g).

§. 17.
Si Vinum optimum destillatione exploramus, tum
primo prodire videmus tenuissimum, pellucidum,
spirituosum, fragrantem, gratum sapientem liquo-
rem; hunc sequitur alius, aquosus, acidulus, albus,
ingrati saporis & odoris seorsim excipiendus. In
fundo vasis remanet crama turbidum, obscuri co-
loris, nauseosum olens, saporis acidi, austeri, a-
quosi; copiosum pro sua quantitate deponens Tar-
tarum.

§. 18.
Si Spiritus, quem prima destillatione dedit Vinum,
destillatur denuo, leni igne, prodit spiritus purior,
volatiliior, fragrantior; remanet iterum in fundo va-
sis humor aquosus, acidus, mucidus, spiritu orbis.
Quo saepius eadem operatio iteratur, eo semper pu-
rior acquiritur spiritus, minus aquae acidulae in vase
relin-

(g) Vide etiam concinnam horum effectuum enumerationem apud PLINIVM
Hist. Nat. Lib. XIV. Cap. 22.

relinquitur. Sed purissimum alcohol hac via obtinetur nunquam.

§. 19.

Ubi vero Spiritus Vini vulgaris tractatur in Balneo Mariae, & cum Sale marino rectificatur ea methodo, quae BOERHAAVIO describitur (*b*), vel auxilio salis alcalini ab omni sua aqua & acido liberatur, eodem authore (*i*), tunc obtinetur sub nomine alcoholis perfecti, liquor, post aera levissimus; pellucidissimus; tenuissimus; simplicissimus; totus inflammabilis, sine ullo fumo, absque ulla relicta faece, procul omni foetore inter comburendum; maxime volatilis sine ulla foece relicta, destillando immutabilis sibi constans; maxime dilatabilis à calore; facillime ebulliens ad ignem; odore gratissimo; sapore singulari grato (*k*).

§. 20.

Quia haec ultima & perfecta alcoholis depuratio non parum laboris sibi poscit & diligentiae, neque

En-

(*b*) *Element. Chem. Tom. II. pag. 198. Ipsius Furni descriptionem & Icona vid. ibid. Tom. I. p. 891. 892.*

(*i*) *Ibid. Tom. II. p. 204. seq.*

(*k*) *Ibid. pag. 199.*

Enchirefis omnibus nota fuit; hinc factum est, ut quidam Chemici, quod in suo alcohole, vulgari modo parato, & pro purissimo habito, semper notas acidi deprehenderent, hoc acidum ab alcohole inseparabile, & materiam, ex qua producatetur spiritus, & causam virtutis inebriantis esse existimarent. Contra quos vero & experientia loquitur, & suo tempore docte non minus, quam copiose disputavit Vir singularis eruditionis RAMAZINI (A).

§. 21.

Est spiritus quidam subtilis, primae fermentationis proles, Blas Sylvestre Helmontio vocatus, naturae nocentissimae. Neque enim haecenus ullum venenum adeo celere, adeo lethale, adeo subtile, repertum est. Si enim capacissimum dolium, plenum optimo fermentabili musto in summo vigore ebullitionis, spiramento parvo in superiori parte emisserit hunc densatum viae angustia Spiritum, atque robustissimus hominum, uno haustu per nares halitum hunc attraxerit, ipso quidem illo momento, sine ullo morbo, cadit mortuus. Si vero parum ejusdem ita ceperit, Apoplecticus labitur. Si minus iterum hauserit, tum fatuus tota vita, sensu commu-

(A) De Morb. Opif. Cap. 20.

ni ablato, vivit & vitae nescius ipse suae, aut Paralyticus fit (*m*).

§. 22.

Hujus veneni semper aliquid latitat in vino residuum, manifestius in Spiritu Vino, ut arctius ibi collectum; unde solo vapore naribus excepto inebriant; quod iis accidere, qui in Regione Mutinensi, ubi amplissimae officinae destillatoriae exstructae sunt, in parando Spiritu Vini versantur, testatur RAMAZZINI (*n*). Et vulgo notum est, in Cellis, ubi multum Vini generosi conditur, eos, qui Vino diffundendo operam dant, fieri temulentos.

§. 23.

Erit itaque vis inebriandi in Vino & ejus Spiritu à solo hoc Veneno vaporoso; quod vero hic late diffusum, & valde debilitatum, longe mitiores edit effectus, qui tamen ex illis gravioribus explicari & intelligi debent.

§. 24.

Alcohol purum, si
I) Partes animales solidas, suis canalibus fluida con-

(*m*) BOERHAAVE *Elem. Chem. Tom. II. p. 180.*

(*n*) *Loc. cit.*

continentibus instructas, contingit, tunc subito ista fluida coagulat, canales arcte constringit, ex his duobus unum solidum facit, fibras exsiccat, contrahit, soliditatem totius auget, & diutissime conservat à putredine.

2) Si affunditur sanguini calenti adhuc, in hoc motum quendam undulatorium excitat, qui tamen variat pro ipsa sanguinis diversitate, & manifestior, iudicio RAMAZZINI, oritur in eo, in quo acidum abundat (o); quem mox excipit sanguinis congruatio (p).

3) Si admiscetur sero sanguinis, hoc prompte coagulatur in massam prius membranaceam, deinde sensim solidiorem, eodem modo, ac solet concre-
scere ad ignem.

4) Si vasis vulneratis, non nimis magnis, applicatur, statim sanguinem vulnere adhaerentem inspissat, coagulat, fibras vasis stringit, crispat, aperturas claudit, & certissimo effectu sistit haemorrhagiam.

5) Si adhibetur nervis laceris, punctis, discissis, nudis, eos statim adurendo quasi ita adstringit, ut non amplius transmittant suum liquidum, hinc stu-
pore

(o) Vid. RAMAZZANI l.c.

(p) Vid. BAGLIV de Sanguine p. 464.

pore affecti ad motus & sensus exercitium fiant inepti.

6) Igni admotum subito & mirifice expanditur, facile incalescit, & citius, quam ullum aliud liquidum cognitum ebullit.

7) Si miscetur cum acerrimo Spirituum Mineralium acido, oritur aestus, ebullitio, vapor uberrius, evolabitque mox omne fere liquidum quam rapidissime, ex altissima quoque phiala, non sine ingenti periculo suffocationis (q): quae simul digesta & destillata aliquoties adeo se invicem temperant, ut exhibeant liquorem fragrantissimi & vinosi odoris, qui antea in neutro erat, saporis grati, austeriusculi, vix acidi.

§. 25.

Extrinfecus applicatum alcohol valide exsiccat, vasa, quousque se insinuare potest, contrahit, liquida in iisdem coagulat. Nervorum extrema quae valet attingere, uno momento arefacit, contrahit, omni motu sensuque privat. Vnde liquet, quam imprudenter, saepe & infelicitèr alcohol vel purum, vel cum Spiritibus aromaticis impraegnatum, idque calefactum,

(q) BOERHAAVE l. c. p. 395.

lesactum, pro fomentis adhibeatur, vel & vi frictio-
nis adigatur extrinsecus, ad proposita Chirurgica,
addita & Camphora similibusque, in hoc Alcohole
dissolutis (q). Si vero idem aqua diluitur, tumque
fomenti instar tepidi applicatur, cum paucis Sale Am-
moniaco, & Aceto, forte praebebat liquidum, quo
vix aliud felicius coagula resolvit, inspissata discutit,
gangraenosa sistit, a proserptu cohibet, separat pu-
trida, & liquida, nimium destillantia, exsiccat (r).

§. 26.

Si cui vero haec phaenomenorum recensio minus
ad rem pertinere videretur, neganti, effectus alco-
holis sinceri applicari posse ad corpora eorum, qui
potu Spiritus Vini vulgaris abutuntur; non defo-
ret, quod reponam. Primo enim lubentissime largirer,
hos liquores multum à se differre; illum scilicet pu-
rissimum, simplicissimum ab hoc, qui ex quatuor
componitur partibus: eodem alcohole, aqua, acido
& oleo quodam paucis foetidulo.

§. 27.

Deinde considerari vellem, trium partium, quae
hic

(q) BOERHAAVE *h. c. p. 200.*
(r) *ibid. p. 190.*

hic accedunt, effectus vix tanti esse momenti posse, ut distingui mereantur ab iis, qui à quavis alia aqua, acido, aut oleo solis vel mixtis pendere observantur, adeoque hic temperatam quidem, & admistu aliorum debilitatam esse efficaciam, eandem tamen permanere agendi indolem; hinc, quod parum alcoholis subito efficit, hoc idem praestare Spiritum vulgarem, diutius & in majori copia adhibitum.

§. 28.

Immo vero etiam ratio docere videtur, a Spiritu Vini quamvis vulgari in Ore, Stomacho, Ventriculo & Intestinis, porosa membrana cinctis, calore naturali in vapores resolutis, primum avolare, & fere solum se penetrare in bibula vasorum oscula alcohol, fibras vasorum contingere, humoribus misceri, & hic proprios sibi edere effectus; cum interim reliquae tres partes, fixiores, minus mobiles, istis cavitatibus diutius inhaereant, ad humores transeant tardius, & ibi diversas quidem ab illis, sed levioris momenti inducant mutationes.

§. 29.

Alcoholis modica portio ore excepta, halitus instar

stat se statim diffundit per omnia, subit poros, nervos grate afficit, stimulat, agitat, Spiritus animales, naturales, vitales excitat, movet, omnes fibras solidas roborat, firmat, incitat, agilitatem auget.

§. 30.

Convenit igitur frigidis, phlegmaticis, Senibus, ubi fibrae solidae feri copia stagnantis inundatae, flaccidae, ad motum inertes languent, aut vitio nutrimenti, vel eius ad loca nutrienda applicationis, laxiori laborant particularum cohaesione. Augebit in his Appetitum, juvabit digestionem, assimilationem alimenti, Sanguinis elaborationem, attenuationem & depurationem, secretionem & excretionem.

§. 31.

Dum acrimoniam acidam in Ventriculo, primis viis & Massa humorum temperat & absorbet (§. 24. n. 7.); sanat inde nata mala, ructus & vomitus acidus, morsus ventriculi, famem vagam, dolores intestinorum spasticos, diarrhoeas, tenesmos; in reliquo corpore pruritum, pallorem, algorem extremitatum &c.

§. 32.

Ergo eadem potio, intemperanter nimis usurpata, omne

omne Ventriculi acidum consumit, appetentiam sensim imminuit, abolit, digestionem turbat; fiunt ructus nidorosi, amaricantes, vomitus biliosi, diarrhoeae putridae biliosae; humores alcalescunt; sales & olea exaltantur; unde acrimonia, phlogoses, solidorum destructio, nutrimenti defectus. obstructiones, inflammationes, suppurationes, gangraenae &c.

§. 33.

Eadem intemperantia, quicquid à virtute alcoholis roborante (§. 29.) boni expectari poterat, in malum vertitur, dum fibrae solidae nimis exsiccatae, rigidae sensum & agilitatem amittunt, vix excitandae, nisi eodem potu fortiori semper & majori copia ingerendo, effectum mere transitorio.

§. 34.

Quo tandem efficitur, ut alcohol in vasa minima, lymphatica, excretoria, vel absorbentia, ventriculi & intestinorum se insinuans, coagulet ibi serum (§. 24. n. 3.), hoc cum suis canalibus concreseat, mutetur in fibram crassam, solidam, nihil transmittentem, hinc perniciēs primae coctionis officinae.

C

§. 35.

§. 35.

Dum vero gliscit haec feri in his locis coagulatio, fieri non potest, quin perpetuo particulae, in molem naturali maiorem coalitae, proluantur, & reliquo misceantur sanguine venoso; unde in truncum Venae Portae congestae; hinc infinitis ramificationibus per Hepatis substantiam actae haerent in ejus extremis, vascula distendunt, obstruunt, impediunt. Hinc est, quod noxas diaetae spirituosae semper primum percipit Hepar.

§. 36.

Quo diutius hae mali causae perseverant, eo majori semper inferciuntur vasa Hepatis copia feri coagulati, non putridi, nec facile corrumpendi: raro enim obstructiones a tali causa natae phlegmonem, aut supurationem producant; sed distendunt modo, proxima premunt, ictus sanguinis a tergo venientis excipiunt; quo fit, ut totum Viscus soepe in mirabilem excrescat molem.

§. 37.

Loquor haec ipse expertus aliquoties. Cum enim cadavera eorum, qui abusu Spiritus Vini mortem si-

bi consciverant , cultro anatomico scrutarer , stupendae magnitudinis inveni Hepar , cuius reliqua figura , color & externa facies sanum Viscus referebant : Cultro adaeto , uti mollis secabatur axungia . In vulnere satis profundo vasa apparebant nulla . Diligenter inquirenti nec vomica , nec sanies , nec foetor observari poterat : Sed omnia , si molem & obstructionem excipias , sanis simillima . Majora tamen vasa justo ampliora esse videbantur .

§. 38.

Hinc etiam intelligitur , cur in hujusmodi cadaveribus Vasa Mesaraica sanguine nigro adeo turgida inveniantur ? cur Spiritu Vini labefactatis alvus liquida?

§. 39.

Dum alcohol in Oris, Faucium, Stomachi principia Venae cavae , vel in oscula vasorum lacteorum penetrat , atque sic flocci feri coacti per omnem sanguinem venosum fluitant ; tunc primi haerent in angustissimis extremitatibus Arteriae pulmonalis , cum his concrescunt , transitum cruoris in Venam pulmonalem intercipiunt ; unde difficilis sanguinis motus per viscus tenerrimum , canalium adhuc perviorum distensio , ruptura , ulcera , tophi , vomicae , haemo-

ptysis; respiratio laboriosa, anghela, motu corporis exacerbata, liquidi in vasa bronchialia expressio, tussis; sanguinis in ventriculum dextrum renixus, cordis labor, palpitatio, pulsus inordinatus, & infinita alia, quae hinc perspicue deduci possunt, mala.

§. 40.

Quoniam, quo propior est homo suae origini, eo molliores & debiliores quidem fibras, sed maiorem vasorum habet numerum; hic vero adolescente aetate sensim imminuitur, & crescit contra robur solidi; dum canales cum suis liquidis in fibras crassas coalescunt; & tandem senes decrepiti ob vasculorum penuriam, & solidi rigiditatem fato mere naturali funguntur; alcohol porro serum coagulat, vascula contrahit, adeoque istam concretionem maxime promouet; hinc fit perspicuum, Spiritum Vini in corpore iuuenili praepropere accelerare id, quod sponte feri attulissent anni, & sic immaturos senes mortem occumbere decrepitorum.

§. 41.

Si Seri, ab eadem causa coagulati, molecule in cavis cordis & auricularum, lacertulis & fibris tendinosis implicantur, rudimen a fiunt nascentis Polypi. Ex sanguine enim, praeprius versus ventriculum dextrum

dextrum restagnante (§. 39), coagulo densatum serum continuo secedit, priori se agglutinat, molem auget; vasa replentur, motus cordis & sanguinis sufflaminatur, atque suo ordine succedunt cordis polyposi phaenomena.

§. 42.

Elastica alcoholis expansio, ad calorem mirifice aucta (§. 24. n. 6.) subitam inducit plethoram cum toto suo symptomatum apparatu. Licet enim crasi sanguinis naturali, vel etiam in fibris motricibus existat elementum connatum, aereum, elasticum, oscillationis in fluidis & solidis moderamen, quod acute suspicatur, & ad febrium Theoriam pulchre applicat Vir in his dijudicandis non minus, quam in Artis exercitio admirabilis WERLHOFIVS (s): quoties tamen huic peregrinum illud adjungitur, & ita elasticitas in sanguine ultra fas & aequum intenditur, fieri non potest, quin maxima omnium functionum oriatur perturbatio, Orgasmi, vis praevalida fluidi, solidi ultra tonum protenti inertia, motuum suffocatio &c.

§. 43.

Scimus, in reliquis fere omnibus serum sanguinis convenire cum albumine Ovorum, discrepare

(s) *Observat. de Febris p. 274. seq.*

vero in eo, quod neque tam prompte coeat cum alcohole, neque in massam adeo solidam & compactam densetur, sed frustalatum congrumescat. Cuius differentiae ratio in eo posita esse videtur, quod albumen totum, quantum est, in pabulum pulli nascentis consumendum, naturae homogeneae, praeter partes nutritias nihil in se contineat peregrini: cum econtra serum sanguinis & urinosa quaedam retineat, & aquosi plurimum; cui albumen tunc demum fit assimile, si aqua diluitur; sic enim, uti serum, & tardius coit cum alcohole, & in massam laxiorem.

§. 44.

Si Albumen duplo aut triplo aquae diluitur, atque deinde ei affunditur alcohol, tunc turbatur quidem liquor, & lactescit, & tenuissimi, mollissimi, levissimi flocculi albi, diu haerent suspensi, quorum crassiores fundum sensim petunt; nihil tamen con-
crescit solidi; nihil, quod non levissimo attritu, dissolvi iterum & in priorem fluiditatem reverti queat, apparet. Et haec quidem ita fiunt in quiete.

§. 45.

Ex quo intelligitur, serum sanguinis humani, quod in diversis individuis varia diluitur aquae copia, di-

ver-

versimode se habere ad vim alcoholis coagulantem: tantam ejus interdum esse posse aquositatem, ut sub usu spiritus Vini nihil omnino ei metuendum sit a coagulo; quin potius tenue nimis & fluxum eodem, tanquam remedio, intra justos consistentiae terminos cogi queat: praesertim ubi auctus motus, calor, corporis exercitium, & aeris usus liberioris accedat. Hoc maxime valere de phlegmaticis, frigidis, senibus, vel sub coelo crasso, humido, uliginoso, degentibus: hos non tantum sine noxa ferre spiritum Vini, sed eo etiam indigere quam maxime.

§. 46.

Exinde respondetur ad quaesita: cur Potus spiritus Vini nocet juvenibus, cholericis, ficcis? unde tanta potulenti ejusdem necessitas navigantibus, maritimis, Batavis; vel nostratibus etiam, quam diu apud hos commorantur, antea minus assuetis, tum ob id fanis? cur hi minus iterum ferunt, in patriam reduces?

§. 47.

Ab admistu Spiritus Nitri dulcis, rite parati, serum sanguinis non cogitur, sed conservat fluiditatem; licet nebula tenerrima, albida, opacet sensim liquorem prius pellucidum.

§. 48. Quo-

§. 48.

Quoniam itaque tam acidum, quam alcohol, quodlibet seorsim affusum fero, hoc celerrime coagulat, & in solidas condensat moleculas; utraque vero intime commixta dant liquorem vinosum, parum vel nihil coagulantem; hinc sequitur, acida, potui spirituofo interposita, noxios effectus si non penitus avertere, multum tamen mitigare, vel etiam morbis jam inde natis utiliter adhiberi posse.

§. 49.

Si enim malum est recens, si accesserit abstinencia, non omnem respuit medelam. Juvabunt maxime alcalina volatilia. urinosa, quae sanguinis fluiditatem conservare, & coagula resolvere docuit experientia; vel quae sale acri penetrante, nec tamen calefaciente nimis, quale inest semini sinapi & similibus, torpidas fibras excitare, & ad motus vegetiores sollicitare valent.

§. 50.

Vbi vero diuturno & immoderato Spiritus Vini fortioris usu jam penitus insidet, atque inveteravit labes; ubi viscera vitalia obstructa, tumida vel tabe confecta, non faciunt officium, tum gravissimi, & nulla arte superandi succedunt morbi: Dyspnoea, Cachexia, Phthisis, Hydrops, mors.

F I N I S.